[redacted]

CYCAS GLAUCA HORTOR.

Ob difficilem et incertam speciminum Cycadum viventium cum antiquorum Botanicorum iconibus comparationem, plantam quam hoc nomine in plurimis hortis cultam vidimus, ad praecedentes referre non potuimus. Antea Cycadis circinalis verae synonymon habuimus, sed perperam. Differt enim foliolis plerumque paucioribus, multo latioribus, v. c. 2 centim. latis, multo magis lanceolatis, versus basin scil. et apicem multum angustatis caet. Multo magis ad Cycadem Rumphii accedit, imprimis si varietatem hujus timorensem comparas. Cum autem Cycadis Rumphii foliola a Cl. inventor. non nisi breviter descripta sint, res ab omni dubio liberari nequit. Quod autem ut aliquando contingat sperans, Cycadis glaucae descriptionem addam, tam secundum specimen in *insula Pavonis* REGNI BORUSSORUM cultum ex *Horto* PARMENTIERI *Enghiennensi* advectum quam juxta exemplar *Horti Roterodamensis* conscriptam.

Caudex glaber (1—1½ pedum alt.) cylindraceus. Frondes e gemma squamis fusco tomentosis tecta erumpentes, nascentes brevibus pilis deciduis hirsutae, adultae glaberrimae, rectae, 2—2½ metra longae. Stipes sub-trigonus, antice plano-excavatus, postice semiteres, spinulis utrinque 30—40 compressis. Rhachis tetragona: parte postica obtusa fere semiterete, planis duobus anticis sub angulo acuto valde prominente conjunctis, et singulis a postica facie canali impresso diremtis, ubi foliola affiguntur utrinque 50—60, quorum inferiora 13 centim. longa, 1½ lata; media eaque magis approximata multo longiora 27—28 centim. longa, 1½ lata; suprema his non multum breviora; omnia lineari-lanceolata, falcata, inferiora magis recta, inprimis juniora marginibus aliquomodo undulata. Nervus medius fortis, inprimis in pagina inferiore lutescens. Color laete viridis, in universum glaucescens, sed deorsum multo pallidior quam in pagina superiore. Margo subrevolutus.

[redacted]